



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

§. Pro ferendo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

nem remittendæ videantur, Trident. sess. 24. c. 1. de reform. matrimonij. Aut si ex commissione Sedis Apostolicæ, super impedimento matrimonij contrahendi dispensandum; dummodo *scandalum, infamia, vel alia rationabilis causa ira postulare videatur*: Hac in re plurimum momenti habere debet ipsius commissarij seu delegati iudicium; tamen si fortasse producti testes, isque qui eorum depositiones concepit, minus aptè causas explicarit: quandoquidem commissio talibus verbis fieri solet, apud Sanchez lib. 8 de matrim. disp. 35. n. 1. *Te diligenter super præmissis informes, & si per informationem eandem, preces veritate nisi repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, tunc &c.* Apostolicâ auctoritate dispenses.

17  
18  
19  
Circa §. Si quid autem, quærit Gl. ver. remissione; Si Iudex parti litiganti, à qua munus accepit, re ipsâ restituerit, num postea de nouo illud Iudici à parte liberaliter donari possit? Affirmat probabiliter Gl. quâ sequitur Molin. cit. disp. 84. n. 14. dummodo nihil in fraudem fiat, & is, cui donatur, defierit tunc esse iudex delegatus donantis. Quia aliud est restitutionem accepti muneris remittere, quod hic prohibetur; aliud verò rem in effectu restitutam, denuò donare: In odiosis verò, seu pœnalibus non debet fieri extensio de casu in casum. Quam ipsam ob causam Gl. in §. Insuper, ver. moderatas, & Mol. cit. disp. n. 16. bene admonent; hanc ipsam pœnam seu inhabilitatem comparandi dominij accepti muneris, extra casum, de quo c. loquitur, delegatorum Roman. Pontificis, & Legatorum eius, extendendam non esse ad alios iudices delegatos.

### §. Pro ferendo.

19  
Delegatus testes vocare non debet, nisi conditio & status causæ postulet. Tum verò is, qui testes produxit, competentes expensas pro veniendo, commorando, redeundo, illis ministrare cogitur.

Vide quæ suprâ dixi in hoc c. §. Insuper, not. 2.

### §. fin.

20  
Quidquid contra præsentem constitutionem actum fuerit, ipso iure irritum & inane est.

Bene hîc Glossa admonet, hoc esse nouum statutum: quia spectato priore iure, processus institutus non obseruatis quibusdam, quæ hîc præcipiuntur, validus erat, donec per exceptionem oppositam infirmaretur. Videri potest Suarez lib. 5. de legibus cap. 28. & 29.

## CAPITVLVM XII.

### Tibi qui.

#### PARAPHRASIS.

Caius à Sede Apostolica gratiam impetravit ad ecclesiam Biturensis; constituto ipsi executore, qui ipsum in Canonicum recipi faceret, & præbendam, si quæ vacaret, aut proximè vacaturam prouideret. Postea similem gratiam expectatiuam in eadem ecclesia à Pontifice Seius impetrauit, qui literis suis prius præsentatis, in Canonicum receptus fuit ante Caium, qui literas postea præsentauit. Inde dubium ortum est, vter horum in assuetudine præbendæ vacantis anteferendus sit? Respondet Bonif. VIII. Si præbendæ eo tempore, cum Caius prior literarum impetrator in Canonicum receptus est, Seio necdum collata fuit, dictum Caium præferendum esse: Sin autem collatio tunc facta, relinquenda est præbenda eidem Seio prouiso: Præterquam si executor intimauerit collatori mandatum de prouidendo ipsi Caio; seu vigore mandati interdixerit ei, ne conferret, præsertim si cum inhibitione collationis interpositum sit decretum, vt alteri facta collatio irrita sit: Idemque iuris esse debet, si in literis gratiæ Apostolicæ insertum fuerit, vt irritum & inane esset, quidquid contra eam attentaretur. Tunc enim non obstante, quòd ante receptionem Caij, priori literarum præsentatori